
1756






D. O. M.

DE CELEBRANDA OPERATIONE TUM IN HYDROPE CUM IN CONCEPTIONE OVARIA.

THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



A eſt humanæ gentis cæca mens ut ruat in vetitum nefas, ea miſerrima conditio, morborum ut innumeræ cohorti ſit obnoxia. Verum inter ſtupenda quæ totum orbem invaſere mala, unum è teterrimis Hydropem novimus: cui Artis Chirurgicæ ſagacitas & induſtria, mediantibus doctè conſiliis, vix opitulantur. Partes, totius-vè corporis compagem obſeſſas tenet, & ſæpè multos poſt cruciatus, dirâ mortis ſalce metitur ægrotus.

VERUM ſub multiplici ſpeciè debacchatur illud portentum. Exurgit enim liquidi congeries aut in abdominis cavitate, aut muſculos inter & peritonæum, aliam-vè partem. E liquore ef-

ſluente, vel effluxo, differentia naſcitur. A parte quâ gignitur ac coaleſcit nomen habet. Multa de quocumque ſpeciatìm illius genere profari cenſemus abſonum, ſiquidem curationis afferre modum ſpeciei cujuſlibet non ſit hîc locus; attamen, anteâquam ad rem veniamus, proferre tantùm definitiones liceat.

ANASARCA totum invadit corpus, hancque pituita craſſa plus minus-vè peperit, indè. Pallor in ore ſedet.

PARS etiam peculiaris à fluido poteſt occupari, undè morbus varia uſurpavit nomina. Si caput, ὑδροκέφαλος appellatur, ſi pectus, partis nomine donatur, ſi abdomen ἀσκίτης nomen arrogat ſibi, ſi in umbilicum irruat, ὑδρομφαλος in ſcrotum ὑδροκήλη in vaſa ſpermatica membranas-vè genitalium, aut aliarum corporis partium, diverſè nominatur ab authoribus.

PLURIES elocutionibus Magiſtrorum artis ſolertiâ per inſignium, rerumque noſtrarum peritiſſimorum de hydrope cyſtide obductâ, perſonuit Academia. Scriptis non mirandis minùs quàm utilibus quotidiè ditatur, & cuicumque lubebit, libris apertis, quæ famur, patebunt. Membranâ ergo peculiari illam efformari poſſe, nemo nobiſcum auſus diſſentire.

NULLA etiam, ut opinamur, de liquidi influxu in ovaria (*a*); aut de ipſius fœtûs conceptione facili, erit controverſia. Cujus quidem morbi duplicis famâ conſtanti celebratur poſſibilitas, ab exiſtentiâ, & ut illum faciliùs poſſimus enodare, cæteris omiſſis quæ de diverſis hydropum ſpeciebus decantantur, quàm ultimam utramque partem amplectemur, & hanc ab origine primâ ducere fert animus. Quoties, antequàm face ſplendenti quâ illâ ætate gaudet Chirurgia, ipſa clareſceret, & ſtudio peritiâque è Pandoreâ pixide eruptum huic ſcientiæ addictiſſimi valuerint debellare monſtrum, quoties, heu! parens natam, conjux conjugem, nefando cruciatu luxit ereptas!

(a) *Dictionnaire de Chirurgie de Col de Villars, pág. 246.*

EX ANATOMIA.

PARTES omnes Humani corporis Anatomicas muneris cum non ſit noſtri hâc in diſputatione perluſtrare, ſed, ut via ſit euntibus facilior, ſolùm quæſtioni proprias indagare, itaquè eas quæ noſtrum ad opus pertinent, percurremus.

CUTEM fibris membranaceis, tendinoſis, nervoſis implicatam, vaſiſque præſertìm lymphaticis conſperſam, elaſticam, glandulis

miliaribus redundantem & ſebaceis, papillis nervoſis exquiſitiorem, ſubſtantiâque mucoſâ (*a*) corium omne tegente politam, ipſâmet epidermide velatam, norunt Anatomici.

Adiposam membranam ſic conſtitutam exhibent authores; ut innumerâ cellularum phalange communicantium inter ſe, unctuoſumque ſuccum ab arteriolis habentium intumeſcat. (*b*) Vaſorum generis cujuſpiam textû mirando, muſculos & ipſos fibrarum faſciculos penetrat. Cum pleurâ peritonæoque conjunctam peritus Anatomiæ non negabit.

Massa (*c*) fibris variè configuratis in duas partes facilè diſtinguendis, contexta exiſtit, quarum altera motrix carnea ſpiſſior, mollis, coloris plùs minùs-vè rubei, pallidi nonnunquam, arteriolas, venarum, nervorumque ramos habens concomites, quam ventrem appellant. Alteram gracilem videas arctam, conſtrictam & albidam, quæ in unum quodque definit extremum ventris, & ab authoribus tendinis aut aponevroſis cognomine donatur. Quod omne propriis membranis & communibus obvolvitur. Hoc muſculum vocant, & ex ipſius categoriâ decem plerumque, aliquando undecim, aut novem, aut octo, perquirenti ſcalpello, invenire eſt abdominales.

Peritonæum, (*d*) illis ſublatis partibus, objicitur. Hoc benè definierimus, ſi textum extenſionis, elaſticitatiſque capaciſſimum dixerimus; id hydrops, & graviditas pronunciant. Varia tenent ipſius productiones nomina, de quibus hîc nullatenùs agendum, ad noſtram utpotè theſim haud neceſſaria.

Manet nobis, ad ultimum, perluſtrandum ovarium utrumque, & *ſi lubet, ipſæ ad quas pertinet partes.* Cum autem noſtra quæſtio tota in utriuſque explanatione incumbat, pro viribus, illud præſertìm evolvemus.

(*e*) Sunt illa, corpora duo albida, exilia, ovalis figuræ, in longum extenſa, magnitudinis inæqualis, uteri fundi latus poſteriùs ferè, ſuperiùſque extùs, occupantia, cui fune rotundo necnon brevi alligantur ligamento lato peritonæi productione incluſo. Quorum ita ſe habet ſtructura, ut exhibeat (*f*) *congeriem & racemos complurium veſicularum lymphâ & igne in naturam albuminis concreſcente turgidularum ac ſinubus ſuis & vaſculis inſidentium: quæquidem omnes fibris diſtinctæ tunicâ teguntur communi; cujus interiorem ſuperficiem ramuli vaſorum ſpermaticorum nervulique*

(*a*) *Ruiſch.* (*b*) *Princ. de M. de la Faye, pag.* 14. (*c*) Celeb. Winſl. pag. 486.

(*d*) *M. Winſlow, expoſition Anatomique du Bas-ventre, pag.* 500 *n.* 23.

(*e*) Idem Author, pag. 575. n. 604. (*f*) Bergerus de Naturâ humanâ.

miris plexibus irrigant. Qui quidem vasculi cum hypogastricis, funibus ligamentorum latorum, meseraicisque mirum in modum communicant. Nervos à lumbaribus, sacris, sympathicoque originem ducere, explanantibus patuit.

EX CHIRURGIA.

PER Anatomicos certò ducti calles, ad agenda veniamus. Tubas Fallopius, uterum & ovaria alii demonstrarunt. Confirmavit id experimenti cadaverum inspectio. Variè varii de quocumque ratiocinati sunt authores, & adhuc de ultimæ partis usû, lis est sub judice. Natura nefandis Hydropisis ovariæ conatibus inscia non cedere, opem artis jampridem suspirabat, cum hoc morbi genus (*a*) cognoverunt. Prima morbi sedes in ovo monstruosè dilatando. (*b*) Primum morbi punctum inextricabile. Causas à quibus habet exordium sexcentas si voluerimus enumerare, essemus infiniti. Præcipuas igitur tantùm recensemus. Æquissimâ judicii lance perpendenti internas & externas si afferamus, non repugnabit, utpotè portenti fabrica. Numero priores videntur menstrua immodica aut ipsorum suppressio, necnon fluor albus, sæpiùs aquæ collectio in tubis ac utero, quin etiam pravus humorum hepatis lienisque circuitus. A partû laborioso, abortû frequenti quoties provenit!

FRIGUS externum ab aëre aut aquâ, occlusio uteri, compressiones, ictus, ansam huic etiam dedere, imò vesana libido.

NONNE etiam ovariorum Hydropisis valet recenseri causa, quam è fœcundato embrione (*c*) in ovariis aliquando rumpen-

(*a*) *Mémoires de l'Académie de Chirurgie*, *tom.* 2 *pag.* 454.

Historia à Chir. Joanne Gemil Observ. Edimburg. vol. 5. part. 1. pag. 336. art. 22. Ovaria potiùs Hydropica quàm imprægnata indicat.

(*b*) *Mémoires de l'Acad. de Chir. tom.* 2. *Remarques faites par M. Morand sur les Hydropisies enkistées*, *pag.* 456.

Celeberrimus Verdier mihi ostendit ovarium sinistrum capillos, sanguinem necnon lympham continens cujus amplitudo major stupore percellebat astantes.

(*c*) Boehmer Med. & Anat. Prof. in Academ. Imp. Frider. Libello Observationum rariorum Anatomicarum Histor. de Conceptione Ovaria refert.

Mémoires de l'Académie des Sciences de l'année 1703. *Obs.* 14. *Au dedans de l'Ovaire droit, d'une femme de* 38 *ans*, *& dans la cavité d'une cellule charnue*, *M. Littre a trouvé un corps de figure ovale*, *long de* 10 *lignes*, *large de* 7 *& épais de* 4, *solide*, *& ayant la couleur & consistence de chair*, *& attaché par un petit pédicule au fonds de la cavité.*

dis habemus. Vix enim gaudens motû fœtus (*a*), aut extinguitur, aut ad perfectam perducitur metam. Si prius, fœtû mortuo sicque facultate vitali spoliato, putrefit, & ex hâc putredine capillarium extrema debilitantur, vasisque ipsis tonum amissis, stillant aquæ ultrà modum, fit & ipsarum incrementum stupendum; si alterum, crescente embrione, crescunt etiam liquida.

Causas conceptionis in ovariis easdem ac illas quæ fiunt in utero novimus.

Diagnosim hujus-ce Hydropisis hâc in quæstione celebratæ Observationes Academicæ Chirurgicæ edocuerunt. Quo laborantes, paucissimis, sæpè nullis conflictantur doloribus. Incipiente morbo, tumor levis latus hypogastricum læsum invadit, & sensim sinè sensû mirum in modum augetur. Verùm ille tumor (*b*) cum ascite nequit confundi, nisi morbi nascentis præcipua effugerint symptomata, & amplissimum abdominis cavum occupaverit liquor priusquam ad ea Chirurgus attenderit. Urinæ fluunt uberiùs, imò eædem ac in optimæ valetudinis statu gaudente, quod non in Ascite, & quibus hoc in casû, instrumento, liquor educitur, fæminæ, solo pondere tumoris in operationis intervallis molestantur.

Cæterum quam in Ascite fluidum tactû nequit ità facilè

(*a*) Frosinus in amitæ suæ Ovario detexit sinistro molam carneo osseam, & aperto cadavere pependens Ovarium seorsim carnea mole stipatum ad 17. libras ascendebat..

Malbrancher refert matronam 50. annorum molam osseam in sinistro Ovario 30. annos gestavisse, & D. Bolten in dextro Ovario fæminæ annorum 58. *molæ cujusdam osseæ species per 28 annos in Ovario delituisse narrat. In Tract. Anglicano pag. 139. ac dissert.* vateri *de apparente graviditate fœtus in utero indurati leguntur, nec intuitu ejusmodi diversarum* vitiosarum gestationum aliorum auctorum desint observationes atque testimonia, vide Bianchum qui in Historiâ Conceptionis Ovariæ nondùm satis certæ, asserit pag. 164. in intimâ conceptione embrionem multò antè maturitatem veluti testiculari abortû expulsum.

Riolanus de Concept. Ovariâ Observans Antopog. lib. 2. pag. 283. 4. 5. fœtum 5. uncias longum ex rupto Ovario in ventrem matris effusum describit; & Giffardus fœtum sex mensium Ovario contentum priùs, & elapsum deindè, extrà partes illas sacculo contentum, per anum fuisse protrusum. Et Mercerus Med. Bitur. refert. Conceptionem Ovariam in cadavere uxoris quæstoris regii 4. à conceptû mense, ætatis 31. mortuæ, in cujus ovarium dextrum concluserat fœtum in dextri lateris partem abdominis prolapsum.

Mémoires de l'Acad. de Chir. Obs. de M. Malaval, pag. 450.

Idem *pag.* 131. *Observ. de Mrs le Dran & Montalieu, confirmées par M. Morand.* Potest etiam hîc legi Hist. D. Durand.

(*b*) *M. Morand l'a trouvée épaisse, gelatineuse, lourde, semblable, sans être graisseuse, aux féces de l'huile, pag.* 458.

percipi, quin etiam aquæ in cyſtide contentæ remotius digitorum exhibentur ſenſui. Nulla demùm viſcera formam magis quam ovarium, circumſcriptam offerunt.

Quæ quidem ſymptomata in ovario fœtus creſcens non ſuppeditat, imò, * *conflictatur ægra doloribus graviſſimis, languorem totius corporis percipit; nauſeam, vomitus, animi deliquia, affectum ſpaſmodicum arthritico rheumaticum, per intervalla quidem remittentem, nunquam penitùs tamen ceſſantem, & hæc primo & altero graviditatis menſe.*

In poſterùm tumor ventris durus pedetentim creſcens, ad ſiniſtrum aut dextrum ſe ſe extendens regionis hypogaſtricæ latus, cum auctâ moleſtâ gravitate ſentitur extrinſecùs, creſcit etiam mingendi difficultas.

Fit indè ut non acris ſolùm è genitalibus profluat liquor, eâque arrodens materiâ promota, continuo ſtimulo niſum, ardorem ac preſſionem in uteri vaginâ excitat, verùm quoquè acerbi dolores in infimo maximè ventre, oſſe ſacro, lumbari & iliacâ regionibus, cum torminibus in partum quaſi exituris ſequantur. His itaquè continuis ferè cruciatibus tumor ventris durus redditur. Accedit febris inflammatoria ſævis ſyptomatibus de vehementiâ non remittentibus ſtipata, demùm convulſivi motus.

Symptomata Hydropiſis ovariæ primis temporibus utpotè minùs ſenſibilia prognoſim ambiguam, tumore ſaliente hactenùs funeſtum pronuntiaverunt exitum.

Quominus (*a*) vitam ducant longiorem minimè morbus ille obſtat. In ovaria conceptione tempus à naturâ præſcriptum ad operationem quâ ſolâ poteſt debellari morbus, expectandum. Præſcribendo enim remedia poſſent.

Tenellos convellere fœtus,
Et nondùm natis dira venena dare.

Anteaquam autèm manum ultimam admoveamus; tentanda eſſe tùm generalia cùm peculiaria remedia, non inſulſè conceſſerimus, & ſi tumor augeatur, repetitis remediis iiſdem, doſis augeatur prudenter. Verùm omnibus in uſum admiſſis incaſſùm, & tumore mirum in modum augeſcente, ad operationem nos accingere neceſſùm. Cum autèm accidat ut fluida ſimùl & gelatinoſa in ciſto contineantur, mola-vè carnea, aut embrio,

(*a*) D. Tacheron Chirurgus Hydropiſim Ovariam refert in puellâ mortuâ, quæ ad octogeſimum octavum ætatis annum aſcenderat, quæque morbo illo, vix triginta annis nata, laboraverat, & cujus tumor totum invaſerat abdomen. * Boehmer.

triplex illud accidens triplicem expetit operandi normam. Si enim liquor in parte totâ sit fluidus (quod fit rarissimè) à Chirurgo, instrumento triangulari manû ipsius instructâ perforetur locus eligendus, & in abdomen tumorisque salientis cavum immisso, extrahatur acus triquetra, scitûque favente, effluant aquæ fluidiores usquè ad siccitatem ferè, eâque cautione administratâ si felici quodam casû tota tumoris amplitudo effluxû liquoris disspareat, ægra in latus læsum recubet, canali triangularis instrumenti eodem in cavo manente, ut ejus ope, si quæ forent aquarum relliquiæ, guttatim exeant: cum autem cessaverit planè effluxus, foras educatur canalis, locoque perforato linteum aliquo liquore spirituoso imbutum super imponatur bis aut ter, sicque fortè id morbi genus curabitur.

Sed (quod sæpiùs evenit) si ovarium partim liquore fluido, partim crassiori turgeat, nihil priùs obstat quominùs eamdem ac suprà manum ad opus applicuerit Chirurgus, idque tantùm illi erit præcavendum, ut cùm egressum negaverit liquor propter crassitudinem, cujus naturæ difficilis indicatio, tumore paulisper, aut nullatenùs fugiente, ad aliam operationem se accingat oportet, quam sic ritè celebraverit.

Acu triquetrâ in canalem repositâ, secundùm sulcatam lineam auxilio scalpelli cutis incidatur, ex adiposâ membranâ musculisque abdominalibus quod licuerit, & in incisionem immisso digito, iteretur altera incisio quâ quod superesit aperiendum muscularium partium cum peritonæo dividatur, & sit ejus incisionis apertura satis ampla ut ovarii tumentis, quod investiganti facilè patebit, *demùm incisio fiat*, *quâque celebratâ*, inclinatâ parte abdominis, effluxus uberior gelatinosæ materiei permittatur donec nullum aut parvum ipsius remanserit vestigium (*a*).

Ast cum ovariorum Hydropisis & impraegnatio uno eodemque tempore possint enasci, scientèr è diagnosi, non modo liquor educendus, verùm etiam corpus inclusum extrahendum, non secùs ferè ac plerùmque in incisione cæsareâ usurpatur, nullam aliam inter operandum præscribendo cautelam. Id solùm animadvertimus quod incisio major necessaria sit, quam in priori casû. Quibus verò peractis, plumbeum canalem idoneum in plagam immittendum novimus, ne illa citiùs occludatur, ut liquori, materiei-vè liber permittatur aditus, & injectionibus impedimentum obstet nullum, ope quarum (quoad fieri poterit) cisti suppuratio instauretur.

(*a*) D. Delaporte hanc pro re natâ, tentavit operationem, *Mém. del'Acad. de Chir. tom.* 2. *pag.* 452. Et in Transf. Phil. Ang. à D. Houston cum felici successu incisione perfecta curatio hydropis legitur in fœminâ 58. ann. natâ.

His demùm ritè & secundùm artem celebratis, quæ restant extùs curanda, non secùs ac in plagâ simplici iisdem regulis arte præscriptis addicti, ad cicatricem perducemus.

At ne quis in pessumum à nobis stabilita vertat, ad experimenta in suillis & equabus quotidiana velit attendere, quibus ovaria non modo, verùm etiàm partes incisione avelluntur adjacentes. Si rustica in animalibus, quid non in homine Chirurgi perita manus ? Cæterùm non erat hæc infrequens apud Lydæos operatio. Quam avulsionem etiam ovariorum uterique detractionem, salvâ vitâ salvas fuisse de antiquissimâ mulierum castratione apud Riolanum l. c. 285. & 6. varia extant documenta. Et Graafius ex Wiero pag. 198. rustici cujusdam allegat casum, qui cum filiam suam Amasio clàm indulgere animadvertisset, ipsam congruè vinculis obligatam castravit.

Has Theses, Deo Juvante, & Præside LUDOVICO-ANTONIO RAVENET, Liberalium Artium & Chirurgiæ *Magistro*, antiquo *scholarum* moderatore, necnon Nosocomiorum Castrensium & Regis exercitûs Chirurgo, *tueri conabitur* Joannes Le Bas *Aurelius, Artium Liberalium Magister, nuper in Nosocomio Charitatis Regio Parisiensi, Chirurgus Anatomicus.*

d'Orbans

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die 26ª. Januarii mensis à sesqui secundâ post meridiem ad septimam. Anno Domini 1756.

PRO ACTU PUBLICO,

ET MAGISTERII LAUREA.

Typis Delaguette Regiæ Chirurg. Academiæ Typographi 1756.